

tatione et zelo *Elias*, clare dixit angelus ad *Zachariam* eius patrem Luc. 1, v. 17 his verbis: *Et ipse praecedet ante illum* (h. e. Christum) *in spiritu et virtute Eliae*.

185. DICES II. Ipse s. *Hieronymus* (1) in citato textu *Malachiae* cap. 4, v. 5 per *Eliam* intelligit *chorum prophetarum*: ergo non est necesse, eundem textum intelligere de *Elia Thesbite*. CONFIRMATUR. *Brücknerus* ait, citatum versum 5 sic verti posse: *Antequam veniat dies Domini magni et terribilis*: ergo hic textus non est necessario intelligendus de *die terribili*, i. e., extremi iudicii. R̄. Dist. ant. s. *Hieronymus* cit. loc. per *Eliam* intelligit *chorum prophetarum* in sensu mystico, conc.; in sensu literalis, neg. Nam *Eliam* in propria persona sumtum cit. loc. intelligendum esse in sensu literalis, clare ibi docet s. *Hieronymus*, ut patet ex contextu, qui ita habet: ECCE EGO MITTAM ELIAM PROPHETAM etc. « Post Moysen.... *Eliam* dicit esse mittendum. In Moysen legem, in *Elia* prophetiam significans.... Lex enim et omnis prophetarum chorus Christi praedicat passionem. Igitur antequam veniat dies iudicii et percussio Domini terram anathemate... mittet Dominus in *Elia*.... omnem prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet et Isaac et Iacob, et omnium patriarcharum: ut credant posteri

eorum in Dominum Salvatorem, in quem illi crediderunt. » Ex quibus verbis s. *Hieronymi* manifestum est, eundem in sensu quidem mystico per *Eliam* hic intelligere omnem prophetarum chorum; minime autem negare, sed positive asserere *Eliam* in persona mittendum, antequam veniat dies extremi iudicii, adeoque citatum versum 9 *Malachiae* in sensu literalis intelligendum esse de ipso *Elia* in persona propria spectato.

Ad CONFIRMATIONEM. R̄. Et dico, *Brücknerum* in sua illa versione citati versus 5 non solum menti patrum et interpretum orthodoxorum, sed ipsi etiam *Luthero* suo contrariari, qui sic vertit: *Siehe ich will euch senden den Propheten Elia, ehe denn da komme der grosse und schreckliche Tag des Herrn. Ecce ego mittam prophetam Eliam antequam veniat magnus et terribilis dies Domini*. Similiter contrariatur versionis LXX interpretum, quae cit. loc. habet: Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν προφήτην πρὶν ἔλθεῖν ἡμέραν κυρίου τὴν μεγάλην, καὶ ἐπιφανῆ: *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magna et illustris*.

Item contrariatur paraphrasi chaldaicae, quae citatum versum ita proponit: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, ante adventum diei, qui venturus est a conspectu Domini, magnus et terribilis*.

SECTIO IV.

DE LIBRIS MACHABAEORUM

Appellantur hi libri *Machabaeorum* a praecipuo religionis vindice, sacrorumque bellorum duce *Iu-*

da, qui primus dictus est *Machabaeus* (2), quod cognomen etiam aliis postea adhaesit. Quid autem

(1) Comment. in Malach. c. 4, v. 5.

(2) I. Machab. c. 2, v. 4.

haec vox *Machabaeus* significet, aut unde derivetur, incertum est. Alii eius originem repetunt a voce hebraea מַכַּבֵּה *Mecabe*, *extinctor*, ut significetur, *Iudam* illum fuisse eximium in extinguendis hostibus: alii aliunde (1). Ceterum libri *Machabaeorum* circumferuntur numero quatuor, sed soli duo priores canonici sunt, reliqui adhuc apocryphi, id est occultae et incertae auctoritatis. Explicant autem, quis status fuerit ecclesiae iudaicae sub tertia monarchia, quae fuit graecorum. Sicut ergo libri *Esdrae* et *Estheris* exponunt varios casus synagogae tempore secundae monarchiae, persarum et medorum; ita libri *Machabaeorum* recensent eiusdem casus tam adversos, quam felices tempore tertiae monarchiae sub regibus Syriae et Aegypti. Hinc ad intelligendos hos libros apprimè serviunt tabulae chronologicae regum Syriae et Aegypti: item summorum pontificum iudaicorum eodem tempore viventium, quas praeter alios exhibet *Fullonius* (2): tabulam autem chronologicam omnium rerum gestarum, quae in IV libris *Machabaeorum* narrantur, commentario suo in duos II. *Machab.* praefixit illustriss. *Calmet*. Porro si temporis, quo res gestae sunt, habenda esset ratio, primum locum inter quatuor libros *Machabaeorum* obtineret tertius, cum ea quae quarti aegyptiorum regis *Ptolemaei Philopatoris*, et *Antiochi M.* tempore iudaeis contigerunt, enarret. Secundus locus debetur ei, qui nunc quoque secundus liber *Machab.* est, et continet acta *Antiochi*

Epiphaniis et *Iudae Machabaei*. Tertio loco esset, qui nunc liber primus *Machab.* vocatur, et praeter acta *Iudae Machab.*, insuper etiam fratrum illius *Ionathae* et *Simonis* victorias prosequitur. Quarto loco maneret, qui nunc quartus est, quique gesta recenset *Ioannis Hyrcani*, filii *Simonis*. Sed horum quatuor librorum sic ordine temporis digesterum primus et ultimus (ut dixi) apocryphi sunt, quod a nullo probato concilio, nullisque patribus in sacrorum librorum canone recenseantur: duo vero medii, qui soli in s. bibliis extant, sunt canonici, ut mox dicemus. Duorum istorum librorum duos esse diversos scriptores a Spiritu s. inspiratos, patet 1. Ex MATERIA; quia posterior liber eadem, quae prior, prosequitur, sed prorsus aliter, nec tamen meminit unquam alter alterius. 2. Ex CHRONOLOGIA, seu annorum supputatione. Quamvis enim tam auctor prioris, quam auctor posterioris libri *aeram Seleucidarum*, seu regni graecorum sequatur, prior tamen assumpsit *aeram Seleucidarum Iudaicam*, quae annos inchoat a mense *Nisan*, qui fere martio nostro respondet: posterior vero *aeram Seleucidarum Antiochenam* seu *Alexandrinam*, quae annos toto semestri serius inchoat a mense *Tisri*, qui in septembrem nostrum (3) incidit. 3. Ex STYLO ET PHRASI, quae in I libro *Machab.* hebraeum idioma redolet, in II libro idioma graecum. Qui tamen fuerint isti duo scriptores hagiographi, non liquet (4). Id solum certum et manifestum est, quod scriptor li-

(1) Vide cl. *Widenhofer*, aut cl. *Goldhagen*, aliosve in praefat. commentarii in lib. *Machab.*

(2) Ante suum comment. in lib. *Machab.*

(3) Vide *Hermannum Goldhagen* introduct. in s. Script. p. 2, n. 288; et praec-

cipue *Fullonium* comment. in I *Machab.* c. 1, v. 11.

(4) Verosimilius Scriptor I. I *Machab.* fuit unus de primariis hierosolymitanis sacerdotibus, et (ut *Bellarminus*, *Sancius* et *Nierenbergius* existimant) *Ioannes Hyrcanus* filius *Simonis*. Scriptor vero

bri posterioris ea, quae hoc volumine descripsit, ex *Iasonis* cuiusdam *Cyrenaei* quinque libris, quasi historiae epitomen (1) descripserit.

CAPUT I.

De libro I. Machabaeorum.

186. QUARES I. *An duo primi libri Machabaeorum ab ecclesia catholica merito in canonem divinorum librorum admissi sint?* R. Affirmative propter rationes iam alibi (2) allegatas. Videri etiam de hac quaestione polemica, praeter alios polemicos et scripturistas merentur *Fullonius* (3), *Widenhofer* (4) et *Goldhagen* (5), quorum ultimus omnia protestantium argumenta, tam communia, quam ex historia et chronologia petita erudite refellit. Nos in decursu sequentium quaestionum saltem praecipua horum argumentorum cum addita eorumdem solutione afferemus, nisi iam alibi (6) a nobis soluta sint.

SCHOLION. Quid de tertio et quarto Machab. libris apocryphis sentiendum sit, exponit illustr. *Calmet* in suo commentario in II. Machab. ad finem.

187. QUARES II. *Quomodo (I Mach. 1, v. 1) ALEXANDER PHILIPPI MACEDO.... PRIMUS REGNAVERIT IN GRAECIA; cum tamen ante ipsum, eiusque patrem Philippum in Graecia regnaverint principes et reges laacedaemoniorum, macedonum, corinthiorum, et atheniensium?* R. Et

I. 2 Machab. verosimillime fuit *Iudas Esensus* virtute et vaticiniis clarus. Vide hac de re *Fullonium* loc. cit. prolegom. sectione secunda.

(1) Vide II. Machab. c. 2, v. 24.

(2) Vide s. Scripturam contra incred. propugn., V. T., part. 4, sect. 1, q. 1, n. 1-16.

(3) In proleg. lib. Machab. sect. 5.

(4) In praefat. commentarii in lib. Machabaeorum.

dico: *Alexander M.* non regnavit primus in Graecia ut rex, sed ut monarcha et fundator monarchiae graecae. Igitur *Alexander M.* primus regnavit in Graecia, non hoc sensu, quod alii ante ipsum reges aut principes in Graecia non extiterint; sed quia ipse primus fuit, qui solus in tota, vel fere tota Graecia imperavit, adeoque quia ipse fuit primus totius Graeciae monarcha, et ab illo incoepit graecorum monarchia.

188. QUARES III. *Quomodo Alexander M. qui erat natione graecus, dici possit (I. Mach. 1, v. 1): EGRESSUS DE TERRA CETHIM, quae est Italia, iuxta illud (Num. 24, v. 24): VENIENT IN TREMIBUS DE ITALIA, hebraice DE CETHIM?* R. Et dico, sensum esse: *Egressus est de terra Cethim*, i. e., ex occidentalibus insulis, seu regionibus maritimis, quales respectu iudaeorum in Palaestina degentium erant *Graecia, Macedonia, Cyprus, Italia etc.* Hebraei enim populos omnes mari Mediterraneo a se discretos vocabant *cethim* seu *insulanos*, eoquod non nisi navibus ad se in continente commorantes pervenirent: uti nunc itali germanos, gallos, belgas, anglos, ceterosque omnes trans Alpes habitantes, vocant uno nomine *transalpinos* vel *transmontanos*. Ita rem hanc explicant *Theodoretus* (7), et *Iosephus* (8). *S. Hieronymus* quoque (9) et *s. Epiphanius* (10), aiunt, per *Cethim* hic intelligi *Macedoniam*.

189. QUARES IV. *Quo sensu (I*

(3) *Introduc.* in s. Scriptur. part. 2, n. 281, et seq.

(6) *Nimirum* part. 4 s. Scriptur. contra incredulos propugn. loco supra citato.

(7) *Comment.* in *Ezech.* c. 27.

(8) *L. 1 Antiquit.* c. 6.

(9) *Lib. 5 in Isai.* c. 23.

(10) *Haeresi* 50.

Mach. 1, v. 7) dici possit, quod Alexander M. in ultimo morbo ministris suis regni divisit, cum adhuc viveret; cum tamen contrarium testentur Q. Curtius, Diodorus, Iustinus et Orosius affirmantes, ministros regis primum post Alexandri mortem praefecturas inter se partitos, et denique ex praefectis factos fuisse reges? R. *Alexander M. DIVISIT ILLIS REGNUM SUUM CUM ADHUC VIVERET*, i. e., dividendum innuit sive condito testamento, sive alio quodam modo, ut s. *Thomas* (1) censet: imo potest dici divisisse, quia *Perdiccae* annulum suum dedit, et una potestatem dividendi, quod et post mortem Alexandri ab eo factum narrat *Iustinus, Diodorus, Curtius*. R. II. etiamsi cum horum auctorum narratione verba s. Scripturae conciliari non possent, plus tamen credendum scriptori libri Machabaeorum, utpote antiquiori, et temporibus illis viciniore, quam citatis illis scriptoribus. Nam si vel ad solam sanae criticae regulam attendamus, in rebus historicis plus credendum auctoribus coaevis, aut antiquioribus, quam scriptoribus aetate longe posterioribus, qui a rebus illis gestis sunt remotiores, et paucioribus subsidiis instructi. Accedit, quod ipse *Q. Curtius* fateatur, *Alexandrum M.* ex quorundam auctorum (a quibus quidem ipse recedit) sententia, regnum suum ante mortem facto testamento fuisse partitum.

190. QUARES V. *Quomodo Antiochus Epiphanes (I Mach. 1, v.*

(1) *Comment.* in hunc locum.

(2) Eiusdem loci in s. Scriptura esse aliquando plures sensus literales, est vera et certa sententia theologorum et interpretum, s. *Thomae*, p. 1, q. 1, art. 10. Et q. 4 de potentia, art. 1; et in II Sententiarum, dub. 42, art. 2 ad 7. *Bellarmini* tom. 1, controvers. 1, lib. 5, c. 5. *Salmeronis* prolegom. 8 in s. Scriptur.

57) *potuerit in templo AEDIFICARE IDOLUM DESOLATIONIS, quod iuxta prophetiam Danielis (Daniel. 9, v. 27) in templo primum ponetur in fine mundi; ut ex Christi praedictione (Matth. 24, v. 15) patet?* R. I. Merito dici potest citata prophetia *Danielis* habere duplicem sensum literalem (2), unum principaliter intentum de *Anti-Christo* et eius tempore, alterum minus principalem de *Antiocho Epiphane* et persecutione eius. Iste enim fuit *Anti-Christi* figura, et ab aliquibus patribus (3) vocatur *Anti-Christus veteris Testamenti*. Potest igitur dici, hoc vaticinium *Danielis*, qui diu ante *Antiochum Epiphanem* vaticinatus est, ex parte impletum fuisse in *Antiocho*, et ex toto implendum in fine mundi. R. II. Et dico, cum *Bellarmino*, negari posse suppositum, quod in I. I Machab. loc. cit. sermo sit de eodem idolo, de quo *Daniel* loquitur; nam in I. I Machab. nulla fit mentio prophetiae *Danielis*. Solummodo idolum *Antiochi* vocatur *abominandum idolum desolationis*, quo modo loquendi etiam usus est *Daniel*: potuit autem auctor I. I Machab. per sensum accommodatum idolo *Antiochi* applicare verba *Danielis*, licet de eodem idolo non esset utrobique sermo.

191. QUARES VI. *Quomodo liber I Machab. cum libro II, et hic secum ipso concilietur in narranda morte Antiochi Epiphaniis; cum (I. Mach. 6, v. 4 et seqq.) narretur eius mors contigisse in Babylonia*

Bonfrerii in praeloquiis in totam s. Scripturam. *Serarii* in prolegom. bibl. cap. 21, quaestiu. 12. *Melchioris Cani* lib. 1, de locis theologicis c. 11 in 7 argumento principali ad 3 rationem. *Hermannii Goldhagen* introduc. in s. Scripturam part. 1, sect. 1, q. 6, n. 140, et seq. etc.

(3) Vide *Bellarminum* de Antichristo,

ex tristitia ob auditam suorum in Iudaea caedem: e contrario (II. Mach. 1, v. 13) dicatur evenisse in Perside in templo Nanae, quod expilaturus advenerat. At (II. Mach. 9, v. 3, et 28) eadem mors narretur accidisse in Media haud procul urbe Ecbatana in montibus? R. Varia est ad hanc quaestionem variorum responsio. Multi cum Bellarmino putant; in omnibus tribus citatis Scripturae locis describi mortem eiusdem Antiochi, nempe Epiphani seu illustris. Alii, ut tria haec loca concilient, aiunt, non de uno eodemque, sed de tribus diversis Antiochis ibi sermonem esse. Iterum alii contendunt, non triplicem, sed duntaxat duplicem Antiochum hic memorari, nempe I. Mach. 6, v. 4-17. Et II. Mach. 9, v. 3-29 narrari mortem Antiochi Epiphani: ast II. Machab. 1, v. 13 mortem Antiochi Sidetis. Haec ultima sententia, quam cum Michaële Medina (1), Fullonio et Menochio (2), multisque aliis tenet Ignat. Weitenauer (3), ceteris est praeferenda, omnemque apparentem antilogiam citatorum locorum facile dispellit. Nimirum I. Mach. cap. 6 et II. Mach. cap. 9 Antiochus Epiphani opulentam Persiae urbem ac templum diripere cupiebat; sed fugatus, iter Babylonem flectere coactus est. Cum vero prope Ecbatanam Mediae urbem pervenisset, intellecta suorum ducum Nicanoris et Timothei accepta clade, iudaeos ad internecionem perdere meditatur, sed viscerum doloribus a Deo percussus, peregre in montibus mi-

(1) Lib. 6 de recta in Deum fide, c. 15.

(2) Commentar. in citatos tres lib. Machab. textus.

(3) Vide in huius auctoris bibliis germanicis notas in II. Mach. c. 1, v. 14, et in II. Mach. c. 9, v. 2.

(4) Vide ante Calmeti commentarium positam tabulam chronologicam quatuor librorum Machabaeorum.

sere mortuus est. At II. Mach. cap. 1 Antiochus alius posterior (4) Sides aut Soter dictus, de quo etiam I. Mach. 15, v. 1 et seqq. sermo est (5), Nanae ex templo gazam ad se avertere dotis nomine aggressus, a sacerdotibus lapidatur et perit. Quodsi Antiochi Sidetis exitium aliter alii narrant, mirum non est. Cum enim morte clandestina sublatus fuerit, diversi rumores a diversis excepti, etiam in libros manarunt.

DICES: Antiochus I. Mach. 6, v. 4 dicitur fugatus ab urbe Elymaide: ast II. Mach. 9, v. 2 dicitur eiectus urbe Persepoli. Dein I. Mach. 6, v. 5 dicitur, cladem suorum intellexisse in Perside; sed II. Mach. 9, v. 3 dicitur eandem cognovisse circa Ecbatanam urbem in Media sitam. Quomodo haec conciliantur?

R. AD PRIMUM: Vox hebraea Elymais idem significat, ac vox graeca Persepolis. עילם Elam enim hebraice Persiam significat. Igitur nomine hebraeo usus est auctor libri primi Machabaeorum; nomine graeco auctor libri 2 (6), uterque pro lingua, qua scripsit. Nam auctor libri I scripsit hebraice (7), et s. Hieronymus (8) testatur, librum I. Mach. lingua hebraica conscriptum, a se visum fuisse: auctor vero libri II scripsit lingua graeca.

R. AD 2. Tam Media, cuius metropolis Ecbatana erat, quam Babylonia, conterminaeque omnes regiones communi Persidis nomine appellari solebant ab eo tempore, ex quo persis paruerant (9). Pro-

(5) Vide Ignat. Weitenauer notam in I. Mach. c. 18, v. 1.

(6) V. Fullonium in I. Mach. c. 6 v. 1.

(7) Vide quae supra in fine praefationis ad libros Machabaeorum diximus.

(8) In prologo galeato.

(9) Vide Fullonium in II. Mach. c. 9, v. 3.

batur idipsum etiam ex II. Mach. 1, v. 19, ubi dicitur: Cum in Persidem (h. e. in Babyloniam) ducebantur patres nostri. Tempore enim auctoris libri II. Mach. haec scribentis, Persidis nomine comprehendatur omnis regio trans Euphratem, teste Calmeto (1).

192. QUARES VII. An id quod (I. Mach. 6, v. 37) de elephantis in exercitu Antiochi Eupatoris narratur his verbis: SED ET TURRES LINGNAE... SUPER SINGULAS BESTIAS; ET SUPER EAS MACHINAE: ET SUPER SINGULAS VIRI VIRTUTIS TRIGINTA DUO; QUI PUGNABANT DESUPER, ET INDUS MAGISTER BESTIAE, verisimile sit, quemvis nimirum illorum elephantorum suffecisse tanto oneri gestando? R. Increduli, quorum aliqui verisimilitudinem huius rei negant (2), crassam ignorantiam suam manifeste produnt. Id enim non tantum est verisimile, sed usitatum. De turritis elephantis, tanquam de re nota, Iuvenalis (3) canit: Et dorso ferre cohortes, partem aliquam belli, et euntem in praelia turrim. Similiter Philostratus (4) de elephantis, quales communiter in India dantur, ait, turrgeros eos esse et quindecim milites ex una tali bestia pugnare posse. Si id de elephantis communiter et ordinarie verum est, quid dicemus de indicis maioribus, quos teste Plinio (5), Livio (6) et Gesnero (7), constat, africanis longe maiores et robustiores esse? Atqui elephantos Antiochi Eupatoris indicos fuisse, clare colligitur ex eo, quod Indus esset magister bestiae. Dum autem Thvenotus testatur, elephantum indicum ultra 3200 libras ferre non

posse, non loquitur de elephantis robustissimis (quales haud dubie Antiochus Eupator, ad bella gerenda selegerit), sed solum de robustis, ut eruditissimus vir Ioseph Khellius (8) monet. Aptissime hanc in rem Calmetus (9) ait: Certum est, elephantum gestare posse quinque vel etiam sex millia librarum pondus; at triginta duo levis armaturae homines, quales erant sagittarii, nequaquam quinque mille librarum pondus efficiebant. Si enim singulos dixeris centum et quinquaginta libras appendisse; triginta duo viri libras reddiderunt 4800. » Adde testimonium unius ex hodiernis, eiusque celeberrimi naturae cognitoris. Est autem cl. Bonnetus, qui in Contemplatione naturae tom. II, p. 12, toto capite 46 elephantum considerat. Hic inter alia ait: « Proboscide (elephantus) sua arbores radicitus evellit... solus machinas ingentes agit, et onera aufert, quae multi equi vix moverent, et cum turri militibus armisque pleno progreditur, quin succumbat. » Et infra in notis subiectis: « Onus quatuor et quinque millium pondo parum est elephanto maioris formae. Quidam viatorum asserit, se vidisse aliquem, qui duo tormenta bellica ad pedes quingentos detulerit solis dentibus, etsi singula ter centum pondo appenderint. » Ita iste scriptor de elephanto maioris formae. Quid iam de omnium maximis, atque immanibus illis, qui integris provinciis perquisiti, ad bella erudiebantur? Horum quidam non solum triginta duos, sed etiam quadraginta, aut adhuc plures graviter

(1) Comment. in II. Mach. c. 1, v. 19.

(2) Vide cl. Weissenbach in nova forma theol. bibl. tom. 2, lib. 4, q. 53.

(3) Satyra 12.

(4) In vita Apollonii, l. 2, c. 6.

(5) L. 8, c. 11.

(6) Decad. 4, lib. 7.

(7) Lib. 1 de quadruped.

(8) Opere in lib. Machab.

(9) Comment. in I Machab. c. 6, v. 37.

armatos per aciem circumtulerunt. Haec si profani auctores, omnibus vel plerisque assentientibus, referunt; qua impudentia increduli inficias eunt, si quando scriptores sacri non dico paria, verum minora narraverint? Vide *Calmetum*, *Sancium*, *Serarium*, *Cornelium a Lap.*, *Ignat. Weitenauer*, aliosve in I Machab. 6, v. 37. Quibus addendi scriptores naturalis historiae *D. Buffon*, abbas *Pluche*, *Erxleben*, *Beckmann*, *Scopoli*, *Unzer* etc.

193. QUÆRES VIII. *Quomodo auctor l. I Machab. dicere potuerit* (I Mach. 8, v. 16): *romanos committere uni homini magistratum suum per singulos annos; cum tamen omnibus notum sit, duos quotannis Romae consules fuisse creatos?* R. Et dico cum *Menochio*, citatum caput 8 non absolute hoc asserere, sed tantum dicere, quod hoc *Iudas Machabaeus* audiverit (1): *Et audivit Iudas nomen romanorum, quia sunt potentes viribus etc.* Fides ergo sua constat scriptori libri primi Machabaeorum, quamvis falsa fuissent, quae nuntii *Iudae Machabaei* de romanis narrarunt. Neque enim ait vera fuisse, quae narrarunt, sed tantum narrata fuisse; ferme sicut in evangeliiis multa de Christo dicta fuisse referuntur, potatorem vini fuisse, seductorem, samaritanum, blasphemum: quae quidem verum est, ab hostibus Christi dicta fuisse, etsi vera non sint. Unde s. *Augustinus* l. 9 contr. priscill. et orig. « In evangelio, inquit, quamvis verum sit omnino quod dicta sint, non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur: quoniam multa a iudaeis falsa et impia dicta esse, vera E-

(1) I. Mach. c. 8, v. 1.

(2) Comment. in I. Mach. c. 8, v. 2, pag. 285 et 286.

(3) Vide *Livium* l. 2.

vangelii Scriptura testatur. » Haec sola responsio, ut *Fullonius* (2) recte observat, sufficeret ad omnes sectariorum cavillos seu obiectiones, quas contra hoc caput VIII libri I. Machab. effutiunt, refutandas.

Ostendemus nihilominus, Deo propitio, ea non modo narrata *Iudae Machab.* fuisse, sed etiam aliquo certo sensu vere dici potuisse. Etsi enim duo quotannis Romae consules essent, unus tamen homo in aestimatione morali dici possunt, et uni homini commissum fuisse magistratum, non tantum quod unius instar essent, aut esse deberent, et unam haberent summam potestatem; sed quia imperium quidem penes duos, at insignia imperii (*fascies*) penes unum erant (3). Item, quia, ubi uterque consul simul ad bellum exhibent, alternis diebus penes unum erat summa imperii. Testis evidens huius rei fuit infelix illa dies, qua contra *Annibalem* ad *Cannas* pugnatum a romanis fuit, iubente *Varrone* consule, cui sors imperandi ea die obtigerat, nihil consulto collega suo *Paulo*, penes quem pridie summa imperii fuerat, et postridie rursus futura erat (4). Hanc et plures alias rationes, ob quas romani uni homini commisisse magistratum dici possint, refert *Fullonius* (5).

194. QUÆRES IX. *Quomodo auctor l. I Mach. (cap. 8, v. 7) dicere potuerit, Antiochum M. a romanis vivum captum esse, cum tamen nemo unus profanorum historicorum (quales hac de re erant Polybius, Appianus, Iustinus etc.) hanc regis Antiochi captivitatem memorent?* R. Et contra hanc *Wer-*

(4) Vide eundem l. 22.

(5) Comment. in I. Mach. c. 8, v. 16, pag. 290.

nsdorfii obiectionem dico, transmissio etiam, quod de illa captivitate regis *Antiochi* scriptores profani sileant, auctoritas *Σεοπυλεδου* unius auctoris praevallet profanis omnibus. Ceterum *Appianus* ait, *Antiochum* ab hoste inclusum fuisse, et tandem per medios evasisse. Verba eius sunt: *Hos quidem diffidens evasit*: ergo fuerat saltem ad tempus breve captus. Praeterea non diffidentur historici profani, *Antiochum* a *Scipione Asiatico* ita pressum fuisse, ut, nisi durissimis conditionibus subscripsisset, romanorum manus haud effugisset. Eiusmodi vero statum, teste *Cicerone* (1), etiam optimi scriptores latini verbis capere, capi exprimere solent.

DICES: Si *Antiochus M.* a romanis captus fuisset, nunquam evasisset. 2. Aut certe romani capti huius regis effigiem pro more suo in triumpho circumtulissent: de quo neutro tamen aliquid constat. R. AD PRIMUM. Captum regem potuisse elabi, vel corrumpendo custodes, vel eripi a suis, vel aliis innumeris modis. Certe ipsa conditio eius, afflicta sane, persuadet nobis, cum omnia imperata faceret, *Scipione* non invito, elapsum: et eventum rei a *Polybio*, *Scipionis* amico, dissimulatum fuisse. R. AD 2. et dico, effigies captorum regum tum circumportatas in triumpho fuisse, cum capti, vel mortui, vel supplices veniam obtinuissent, ut probant exempla *Cleopatrae*, *Mithridatis*, *Tigranis* etc., non eorum qui capti, iterum elapsi, conditiones pacis acceperunt.

195. QUÆRES X. *Quomodo romani (I. Mach. 8, v. 8), regionem indorum et medorum potuerint regi Pergamorum Eumeni dono dare; cum tamen romani neque Mediae,*

(1) Lib. 8, epist. ad *Attic.*, ep. 15.

(2) Comment. in I. Mach. c. 8, v. 8.

neque Indiae imperaverint? R. Quamvis romani indis et medis non imperaverint, poterant tamen *Antiochum* compellere, ut non solum regiones minoris Asiae, sed Mediam quoque, et quidquid ad oram Indi amnis possidebat, cederet *Eumeni*. Plures adhuc alias responsiones eruditorum ad hanc quaestionem recenset *Calmetus* (2), et inter alias etiam illam *Menochii* et aliorum, quam iam supra num. 193 quaest. VIII dedimus, dicentium, ad veritatem historiae sacrae sufficere, *Iudam Machab.* ita audivisse (videlicet romanos *Eumeni* regionem indorum, et Mediam dedisse), etsi aliter res forte se haberet.

SCHOLION. Quid in hoc loco Scripturae, nomine *indorum* et *medorum* intelligatur, inquire apud *Calmetum*, aliosque interpretes eiusdem loci.

196. QUÆRES XI. *Quomodo auctor l. I Mach. (8, v. 9), dicere potuerit, ab iis, qui sunt circa Helladam, id est ab achaeis bellum contra romanos susceptum esse; cum tamen achaei, qui incolunt Helladam, nusquam in omni historia legantur romanis bellum indixisse?* R. Apud *Helladam*, sive circa *Helladam* et *aetoli* sunt, qui ab anno ab urbe condita 564, a romanis ad *Antiochum* defecerunt: postmodum vero a *Glabrione* devicti sunt (3).

SCHOLION. Quodsi his tricus geographicis et historicis te immiscere nolis; dic paucis, historicum sacrum tantum asserere, quod *Iudas Machab.* audierit haec, non quod revera ita se omnia habeant; prout 1, Mach. cap. 8 de romanis narratur. Quam reflexionem iam supra (4) iterato fecimus, et hoc loco etiam cl. *Widenhofer* (5) facit.

(3) Vide cl. *Widenhofer* comment. in I. Mach. c. 8, v. 9.

(4) Num. 195 et 196.

(5) Comment. in I. Mach. c. 8, v. 9.

117. QUÆRES XII. *Quomodo ostendi possit, antilogias chronologicas in duobus libris Machabaeorum occurrentes non esse reales, sed solum apparentes?* R. Non vacat his tricis chronologicis enodandis prolixius immorari, ne praesens nostra lucubratiō praestitutae brevitatis modum plus nimio excedat. Duo solum hic monenda censeo. PRIMUM est, quod hae difficultates chronologicae distincte recensitae, et erudite solutae videri possint apud *Hermannum Goldhagen* (1), et *Fullonium* (2). SECUNDUM est, quod ad dictas difficultates chronologicas solvendas permultum conferat id, quod iam supra in praefatione ad LL. Machab. monuimus, nimirum alia esse in Libro I Mach., alia in Libro II annorum initia, totoque dimidiato anno inter se distare. Prior enim inchoat a mense *Nisan*, qui ex parte *martio* nostro respondet: posterior autem a mense *Tisri*, qui fere incidit in *septembrem*. Unde necesse est, ut prior Liber sex totis mensibus praecedat posteriorem: adeoque non est mirandum, rem gestam, quae ab auctore L. I Mach. refertur ex. gr. ad ann. 149, ab auctore L. II Mach. referri ad annum 148. Sic 1. Mach. 6, v. 16, obitus *Antiochi Epiphani* figuratur in annum graecorum 149; sed 2. Mach. 11, v. 33, literae *Antiochi Eupatoris* eius filii post patris obitum datae referuntur ad annum 148. Vide praeter *Hermannum Goldhagen* et *Fullonium* (3) etiam *Salianum* (4), et *Petavium* (5).

DICES: iuxta auctorem L. I Mach.

(1) *Introduct. in s. Script. p. 2, sect. 4, n. 288 et 289.*

(2) *Commentar. in I. Mach. c. 1, v. 11, pag. 53-58. Edition. Leodiensis an. 1660. Item in I. Mach. c. 4, v. 54, p. 178 et 179.*

(5) *Loc. cit.*

cap. 9, v. 18, *Iudas Machabaeus* occubuit anno aerae Seleucidarum 152; et tamen iuxta auctorem L. II Mach. cap. 1, v. 10, adhuc inducitur post 37 annos, scilicet anno 188 scribere epistolam: atqui haec differentia chronologica inter auctorem primi, et auctorem secundi Libri Mach. non tantum est dimidii aut unius anni, sed plurium annorum. R. Nego, quod in Libro II, Mach. loco citato sermo sit de *Iuda Machabaeo*; sed solius *Iudae* nomen sine addito *Machabaei* ibi commemoratum verisimillime designat *Iudam Essenum* virum ob prophetiae donum magnae apud iudaeos auctoritatis, quem in praedicendis futuris nunquam errasse perhibet *Iosephus* (6). Hunc igitur *Iudam* virum sanctimoniae ac vaticiniorum fama celebratum *Serarius*, *Salianus*, *Fullonius*, *Calmetus* aliique plures censent cit. loco memorari in epistola iudaeorum habitantium Hierosolymis data ad iudaeos in Aegypto commorantes: tum quia multum momenti apud aegyptiacos iudaeos habitura erat huius *Iudae* auctoritas, velut viri sancti et prophetae: tum quia idem ipse videtur *breviator Iasonis* (7), adeoque scriptor et memoratae epistolae, et totius Libri secundi Machab. (8): tum denique, quia non insolitum fuit, etiam exteris nationibus, viro- rum praecipuorum, virtuteque aut dignitate sacra insignium nomina publicis tabulis inscribere.

SCHOLION. Quamvis in libris Machabaeorum variae difficultates historicae et chronologicae occurrant,

(4) *Ad ann. 3891.*

(5) *De doctrina temporum, c. 42 et 43.*

(6) *Lib. 13 Antiq. c. 19.*

(7) *Vide II. Mach. c. 2, v. 24.*

(8) *Vide praefationem nostram in lib. Machab.*

eas tamen orthodoxi interpretes passim explicant et complanant. Praecipue autem consulendus est *Iosephus Khellius* in egregio opere, quod scripsit de historia machabaea. Cum enim vir clarissimus *Erasmus Froelich*, emissis in lucem *Annalibus regum Syriae*, tam chronologiam, quam res gestas, quae spectant libros Machabaeorum, ex ipsis numeris regum Syriae firmasset mirifice, praeter alios protestantes eum impugnavit *Gottlieb Wernsdorffius* in *Commentatione historico-critica de fide historica librorum machabaeorum, Uratislaviae 1747*. Ubi quidem omnem dat operam, ut libros Machabaeorum non tantum divina, sed etiam humana auctoritate despoliet. Verum est *Iosephus Khellius*, qui tum erat *Eras. Froelichii auditor*, huius scriptum de *Annalibus regum Syriae* vindicavit, edito anno 1749 opere, cuius titulus: « Auctoritas utriusque libri Machabaeorum canonico-historica adserta, et Froelichiani annales Syriae defensi adversus commentationem historico-criticam viri eruditi *Gottl. Wernsdorffii* Vien. Austr. ex Typ. Tratt. 1749. » Porro is ipse *Iosephus Khellius*, qui olim laudatus *Froelichii auditor* erat, postea eiusdem factus est successor in cura *Garellianae* bibliothecae; sicut hodie *Iosephus Khellii* successor, et praeses memoratae bibliothecae est vir clariss. *M. Denis* (1).

CAPUT II.

De Libro II Machabaeorum.

198. QUÆRES XIII. *Quomodo iudaei habitantes Hierosolymis (2.*

(1) *Vide die Merkwürdigkeiten der k. k. Garellischen öffentlichen Bibliothek am Theresiano, von m. Denis. Wien. 1780 in der historischen Nachricht. p. 12-16, seu: Michaël Denisii, Spectabilia imp. reg.*

Mach. 1, v. 9), iudaeis in Aegypto commorantibus scribere potuerint: ET NUNC FREQUENTATE DIES SCENOPEGIAE MENSIS CASLEU; cum tamen dies scenopegiae ex praecepto divino (Lev. 23, v. 34), non mense nono Casleu, sed mense septimo Tisri dicto, celebrandi fuerint? R. Et dico cum Fullonio, Tirino, Calmeto et aliis, per dies scenopegiae in Libro II Machab. loco citato non intelligi illos mensis septimi Tisri, sed dies encoeniorum mensis noni Casleu, quando a Iuda Machabaeo repurgatum fuit templum, et de novo dedicatum altare (2). Tunc enim, licet non occurrerent dies scenopegiae seu tabernaculorum, tamen dies totos octo dedicationis illius peregerunt iudaei in modum festi tabernaculorum, ut 2. Mach. 10, v. 6 dicitur. Applicatur ergo hic Scenopegiae appellatio encoeniis per Iudam Machabaeum indictis, non a temporis ratione, sed ex similitudine gaudii. Quemadmodum enim laetissimum erat festum tabernaculorum, et octo diebus agebatur sub contextis ex ramis frondibusque virentibus tentoriis; ita diebus totidem pariter celebrabatur encoenia instaurati templi, ad quod proficiscebantur tyrsis et ramis viridibus et palmis exornati (3). Neque mirum alicui videri debet, quod in Iudaea arbores cum foliis datae fuerint mense Casleu, videlicet novembrem inter et decembrem. Viatores enim asserunt, in Palaestina menses hos esse adhuc satis amoenos et florentes.

199. QUÆRES XIV. *Quomodo Ieremias (2. Mach. 2, v. 5), taber-*

Garellianae publicae bibliothecae in Theresiano Collegio. Vien. 1780 in historica admonitione.

(2) *I. Mach. c. 4, v. 52; et II. Mach. c. 10, v. 6.*

(5) *II. Mach. c. 10, v. 7.*

naculum, et arcam, et altare incensi in monte abscondere potuerit tempore, quo urbs Ierusalem a Nabuchodonosore obsessa fuit; cum tamen hoc facere nequiverit durante obsidione, quia ipse tunc erat in carcere, nec postea, quia chaldaei, capta Hierosolyma, omnia pretiosa templi (Ierem. cap. ultim. v. 17, et seqq., item 1. Esdrae 1, v. 9, 10 et 11), abstulerunt? R. Et dico cum citatis et aliis plerisque interpretibus, arcam, tabernaculum et altare incensi a Ieremia verisimilius asportata fuisse, capta iam a chaldaeis Hierosolyma, antequam ab iisdem templum incenderetur. Facile enim hoc potuit a Nabuchodonosore, et eius belliduce Nabuzardanano impetrare Ieremias, cum illis percarus esset, et maximae apud eosdem auctoritatis; eoquod durante obsidione, multum pro tradenda chaldaeis civitate apud regem Sedeciam et primores iudaici populi institisset, affirmans, talem esse voluntatem Dei, ut civitas in manus chaldaeorum veniret (1). Certe Nabuchodonosor, capta iam Hierosolyma, ad Nabuzardanum magistrum militiae dixit (2): Tolle illum (i. e. Ieremiam) nihilque ei mali facias, sed, ut voluerit, sic facias ei. Denique aliunde (3) constat, in vasis per Nabuchodonosorem e templo sublatis non numerari arcam, neque altare thymiamatis, nec tabernaculum: adeoque vel inde satis patet, haec vel ante expugnatam Hierosolymam iam fuisse ablata, aut post captam hanc urbem concessa alteri, Ieremiae scilicet per Nabuchodonosorem. Vide de hac re

(1) V. Ier. c. 39.

(2) Ibid. v. 12.

(3) Ier. c. 32, v. 17, etc.; item 1. Esdr. c. 1, v. 9, etc.

(4) In nota adiecta in suis bibliis germanicis II. Machab. c. 2, v. 5.

Ignat. Weitenauer (4), Fullo-nium (5), Calmetum (6), ubi etiam decisim invenies, an arca templo restituta sit post captivitatem babyloniam.

200. QUARES XV. Quomodo verisimile reddi possit, quod Deus per continuos 40 dies publica prodigia ediderit, prout (II Mach. 5, v. 2 et 3) his verbis narratur: « Contigit autem per universam Hierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes... et hastis, quasi cohortes armatos, et cursus equorum per ordines digestos, et congressiones fieri cominus, etc. » An non potius dicendum, hoc fuisse merum oculorum ludibrium, aut μετέωρον aliquid coeleste? Ita quidam ex incredulis, sed male. Nam R. et contrarium cum Lyrano et aliis sic ostendo. Inprimis citatus Scripturae locus non ita intelligendus est, quasi diebus singulis facta fuerit ista apparitio; sed tantum, quod intra 40 dies ea pluries data fuerit: sicut, dum dicitur (7), quod Christus post resurrectionem suam per dies 40 apparuerit discipulis suis, non est sensus, quod singulis diebus, sed quod pluries intra illud tempus eis se videndum praebuerit. Porro, quamvis non raro eiusmodi spectacula in aëre visa a vulgo falso spargantur, aut merum sint oculorum ludibrium, aut μετέωρον seu lusus naturae: negari tamen nequit, interdum eiusmodi ostenta revera apparuisse, et quidem clara luce, palam omnibus visa, et diu, ita, ut nullum prudens sit dubium, quin ea fuerint speciali Dei iussu efformata, ad terrendos mortales,

(5) Comment. in II. Mach. c. 2, v. 4, 5, 6.

(6) In dissertat. praemissa commentario in lib. Machab.

(7) Act. c. 1, v. 5.

aut publicas calamitates praesignificandas. Neque enim solitus naturae cursus, lususve, tot dies constanter tenuisse potuit, aut per intervalla rediisse, eadem specie ac situ; cum vapores et halitus, qui naturalium μετέωρον materia sunt, agitatione perpetua atterantur, ac mutentur, et ordinarie brevi evanescent. Unde non credo, mere naturale fuisse illud ostentum, de quo Tertullianus (1) testatur his verbis: « Constat, ethnicis quoque testibus, in Iudaea per dies quadraginta matutinis momentis civitatem de coelo pependisse, omni moeniorum habitu evanescente de profectu diei, et alias de proximo nullam. » Quidni ergo pariter tanquam rem certam habeamus, etiam tempore Machabaeorum illud ostentum vel per bonos genios, vel per malos in aëre effectum fuisse: quanquam per bonos malim, cum ad salubrem metum iniiciendum, corrigendosque pravos mores, et vindictam divinam spectaret, quae daemonum mens et cogitatio non est.

CONFIRMATUR nostra responsio ex pluribus aliis eiusmodi ostentis in aëre visis, tanquam prodromo fatalium calamitatum, quorum multa recenset Conradus Lycosthenes quamvis acatholicus (2), aliique. Sic, ut alia taceam, teste Spondano an. 1494 visi in agro Aretino equites innumeri, cum terribili strepitu, tympanorum sonitu, et buccinarum clangore, per medium coelum transire sub tempus expeditionis Neapolitanae per Carolum VIII Galliae regem. Similiter ante Hierosolymorum supremum per romanos excidium, vigesima prima artemisii mensis, qui aprili nostro respondet, sub solis occasum visae supra Hierosolymam

(1) L. 5 contra Marcionem, prope finem.

(2) Tractat. de prodigiis et ostentis.

acies discurrere, eamque obsidione cingere, teste Iosepho iudaeo (3), cuius etiam prodigii meminit Tacitus (4) his verbis: « Visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma. » Potuit Iosephus, qui tunc in Iudaea degebat, oculatus testis seu spectator fuisse horribilis illius prodigii: nec mentiendi, fingendique causam habebat; imo si finisset, ridendum se et explodendum praebisset, superstitibus plurimis, per quos falsi argui potuisset. Idem de Tacito dixerō.

201. QUARES XVI. Quomodo confutanda sint novatorum diceria adversus Libros Machab., dum hos carpunt, quod approbent, quae admitti salva religione non possunt, e. g. dum de facto RAZIAE seipsum occidentis, cum ab hostibus iam se capiendum videret, auctor Libri 2. Machab. (c. 14, v. 42) dicit: ELIGENS NOBILITER MORI POTIUS, QUAM SUBDITUS FIERI PECCATORIBUS. Aut dum factum Eleazari (1. Mach. 6, v. 43-47), qui se ipsum ambitione ductus, UT ACQUIRERET SIBI NOMEN AETERNUM (Ibid. v. 44), elephanti opprimendum subiecit, tanquam actus heroicus ab auctore Libri primi Machab. describitur; cum tamen αυτοχειρία seu suicidium lege naturali et divina positiva prohibeatur? R. In neutro allegato Scripturae loco αυτοχειρία seu suicidium absque iussu aut speciali instinctu Dei domini vitae et mortis factum, approbatur. Nam quod attinet factum Raziae duplex est sententia, utraque graves pro se citans auctores. Prima est ss. Augustini et Thomae, quam etiam Calmetus (5) amplectitur, quaeque Raziam hoc facto male egisse contendit. Sed hi negant suppositum, quod auctor Libri 2. Ma-

(3) L. 7 de Bello iudaeo. c. 7.

(4) Hist. l. 4.

(5) Comment. in II. Mach. c. 14, v. 42.